

tituli ejusmodi labores postulat. Novimus enim ex sacris pariter  
 atque profanis, quid homines susceperint jussi, si dulce sponso-  
 rum nomen acquirere voluerunt. Jacobus patriarcha septennium  
 durissimorum servitiorum non abhorret: David extremo vitæ pe-  
 riculo, ut dotem determinatam offerat, Michalis amplexus lu-  
 cratur; Procos Homeri, Terentii aliorumque qui legit, pollicem  
 nobis premet, homines istos plusquam humanos superasse labo-  
 res, modò suum consequerentur amorum finem. Qvis vitio  
 nostris vertet procis, quòd tanta, tam dura & tam varia molian-  
 tur, ut sponso- rum nomen tueantur? quis nobis, quòd tantas bonis  
 mentibus molestias imponamus. Utriusq; rei prægnans sanè ra-  
 tio extat. Post hæc igitur omnia emergit res ipsa titulusque  
 Terminusq; honorificæ Relationis, qui est & vocatur Sponsus,  
 quem frequentato nomine Candidatum appellant, deductâ ori-  
 gine inde à Romanis, quorum petitores honorum tenebantur  
 candidis induiti vestibus Patronos suos comitari, unde ad Hono-  
 rum scholasticorum petitores idem transit nomen, & ab illis  
 quasi propriè nunc possidetur. Habemus Sponsum, habe-  
 mus Candidatum, imò plures sponso- s, si plures Can-  
 didatos. Nihil adhuc de Sponsa, quæ tamen vi Relationis  
 omninò infertur. Quid ergò hoc in loco Sponso respondet?  
 quæ Sponsa? Siltam ego & nominabo eam suo proprio què &  
 valdè illustri nomine: Sophiæ ipsi nomen est, dilatatum Philo-  
 sophiæ. Definiunt eam cum veteribus Philosophis ex Cicero-  
 ne, lib. 2. de officiis: Sapientia (cujus studium Philosophia) est  
 rerum divinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res con-  
 tinentur, scientia. Largiùs. Divina, si sacra intelliguntur & quæ  
 revelationis sunt, relinquemus Theologiæ manum in alienam  
 messem non immittentes; sin talia, quæ exempta sunt actioni  
 hominis, nec non quæ de Deo & divinis naturaliter nobis sunt co-  
 gnita, intenduntur, recipiemus in tantum divina illa intra sinum  
 nostræ Sophiæ & retinebimus. Accuratiùs ita philosophamur:  
 φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων ἢ κατ' ἀνθρώπων τῆς οἰκίας &  
 δεινότητος ἕνεκα, Philosophia est cognitio rerum tanta, quantam  
 humana mens assequi potest propriæ felicitatis gratiâ. Quando-  
 quidem autem & hujus non una ubiq; est facies, attende quæso  
 fucos, ne nubem pro Junone, ranam pro Diana amplexeris. Fu-